

vidimus contineri, quicquid ad incrementum spectat ipsius, ad illius honorem pertinet consequenter, que sola super eam, sicut dictum est, obtinet magistratum, universis tam presentibus quam futuris Christi fidelibus cupimus esse notum, quod dilectus nobis consanguineus noster Fridericus illustris comes de Brenen in nostra presentia confessus est et publice protestatus, quod ipse monasterium de Brenen de progenitorum suorum patri- 5 moniis institutum ad preces et obtentum dilecte nobis in Christo consanguinee nostre Sophie Quidelingeburgensis ecclesie venerabilis abbatisse sororis carnalis ipsius comitis iam dicte Quidelingeburgensi ecclesie cum universis bonis et possessionibus ad idem monasterium spectantibus nec non et cum pleno iure patronatus et advocatie ipsius in proprietatem cum pleno et expresso consensu Conradi Orientalis et Teoderici Misnensis 10 marchionum illustrium, qui proximi comitis eiusdem et legitimi extiterunt heredes, perpetuo iure donavit. Super quo tam comes ipse quam marchiones iam dicti nobis curaverunt porrigere preces suas, ut donationem prescriptam sepe dicti Quidelingeburgensi ecclesie nostre auctoritatis dignaremur privilegio confirmare. Nos igitur eorundem precibus benigno concurrentes assensu monasterium idem cum universis bonis ac posses- 15 sionibus ad ipsum spectantibus et cum pleno iure patronatus et advocatie ipsius Quidelingeburgensi ecclesie ac eius in perpetuum abbatissis presenti privilegio confirmamus salvo semper in omnibus iure diocesano tam nostro quam successorum nostrorum. Autoritate quoque dei omnipotentis et beatorum apostolorum Petri et Pauli et nostra sub anathematis interminatione districtius inhibemus, ne ullus omnino super prescripte dona- 20 tionis proprietate Quidelingeburgensem ecclesiam seu ex ipsius abbatissis aliquam in futurum modis aliquibus fatigare aut molestare presumat contra hanc confirmationem nostram temere veniendo. Testes autem huius rei sunt: Teodericus venerabilis Mersburgensis episcopus. Thetmarus decanus ipsius ecclesie. Magister Huicio Nuwenburgensis scolasticus. Liuderus et Vlricus Misnenses canonici. Magister Bernardus et Heindenricus 25 notarii nostri. Ex laicis vero: Godefridus Kyseling. Otto de Povch et fratres ipsius Wernerus et Teodericus. Volradus et Conradus de Landesberch. Heinricus de Sladenbach. Simon et frater eius Geuchardus de Zurbeke et alii quam plures. Acta sunt hec anno ab incarnatione domini millesimo ducentesimo nono; datum apud Hallis in Novo Opere per manus Heidenrici notarii nostri, pontificatus nostri anno secundo. 30

143.

Der Abt Heinrich zu Breitungem bekennt, daß Landgraf Hermann und seine Gemahlin Sophie das Patronatsrecht über die Kirche zu Breitungem der Kirche zu Hersfeld übertragen haben, daß aber nach Ableben des Abtes Walther ein Streit über die Abtswahl entstanden sei, welchen erwählte Personen zum gültlichen Austrag gebracht hätten. 1209. 35

*Hdschr.: Or. Perg. Staatsarchiv Marburg. Die beiden aufgedruckten Siegel sind verloren. Phot. H. St. A.
Gedr.: Kuchenbecker, Anal. Hass. 12,328.*

†: In nomine sancte et individue trinitatis.: Heinricus dei gratia Breitingensis ecclesie electus. Quam fragilis est memoria rerum turbam non capiens ea, que nostris